





1. Musaei Joh. I diff. in Epist. ad  
Romanos Cap. IX. v. 19 - 23.  
jane 1652.

2. — diff. de vera presentia  
corporis Christi in S. Coena.  
jane 1652.

3. — diff. II. De natura et  
definitione Ecclesie.  
jane 1655.

4. — diff. de resurrectione  
Christi a mortuis, jane 1653

5. Musaei Petri diff. de Baptis-  
mo, H. Elmer. 1664.

30  
31

# De Pœnitentia Disputatio.

*Deo Patre Seruatoris Domini, sua gratia  
benignè nos iuuante.*

PRAESIDE RE-  
VERENDO ET CLARISSIMO  
VIRO, D. THEODORICO SCHNEPFIO,  
Doctore & Professore sacrosanctæ Theologiæ in inclyta Aca-  
demia Tubingensi celeberrimo, Domino & Praeceptore suo  
omni obseruantia colendo, G V I L H E L M V S  
ECKSTEIN, Scheslicensis, Francus, Calendis  
Iulijs, hora sexta matutina, in Aula  
noua, ad subsequentes Propositio-  
nes discendi gratia re-  
spondebit.



T U B I N G A E,  
Apud Georgium Gruppenbachium,  
1580.

Degener  
Dilectio


PRAYERBOOK

THEODORE DE VRIES  
THEODORE SCHENKEL  
THEODORE SCHENKEL  
THEODORE SCHENKEL  
THEODORE SCHENKEL  
THEODORE SCHENKEL

1583

*DISPVTATIO DE  
pœnitentia.*

**Propositio I.**



VDIenda est vox Seruatoris Domini,  
Baptistæ, Prophetarum & Apostolo-  
rum omnium, qui nos omnes ad pœni-  
tentiam vocant.

2. Portentosí enim stuporis effet,  
DEI & legatorum ipsius, voces saluta-  
res illas, & ductrices ad benè & beatè viuendum aspers-  
nari.

3. Cum autem hostis ille mortalium, salutarem hanc  
viam ingredientes, in deuia abducere conetur: & vt est  
ad nocendum ingeniosus, hypocriticam pro vera pœni-  
tentia obtrudat: omni cura & conatu nobis enitendum  
est, ne perniciose alicui errori inuoluamur: & à ciuitate  
illa cœlesti aberremus.

4. Tum vero hoc consequemur, cum vocem filij  
Dei, qui & via & dux est ad sempiternam felicitatem,  
audiuerimus, & secundum eam, viam veræ pœnitentiæ  
suerimus ingressi.

5. Vox autem ductoris illius nostri in solis sacris lis-  
teris exauditur: itaque committendum non est, vt homi-  
num commenta cœlestibus illis oraculis præferamus.

6. De tota ergo pœnitendi ratione, sacrosanctam Scri-  
pturam audiamus: non dubitantes, tum nos quām rectil-  
simē de ea sensuros, si in ea redemptorem Dominum, &  
fidissimum monstratorem itineris illius, nobis loquen-  
tem audiuerimus.

*Disputatio*

7. Pœnitentiam autem ex sacris, fortasse ad hunc modum quis descripscerit: Esse veram hominis peccatoris ad Deum conuersionem: à Domini Spiritu profectam: qui in electorum mentibus, subinde doctrina legis, agnitionem peccatorum, & salutarem illum dolorem de admissionis creet, & eosdem voce Euangeliū eruditos, fide in Seruatorem Dominum erigat: ut de condonatione peccatorum certiores facti, fructus postea vberrimos illos, & pœnitentia dignos ostendant.

**Auctor. 26.**  
Matth. 3.  
Luc. 3.

8. Quam definitionem, ne de ingenio nostro confinxisse videamur, paucis eam exponemus: ostensuri, quomodo ex fontibus sacrarum literarum desumpta sit: simul etiam indicaturi, perperam eos facere, qui ex hominum commentis, huic doctrinæ peregrina assuunt: quæ saluberrimas illas scaturigines non resipiant.

Matth. 3.  
**Auctor. 20.**  
Luc. 15.  
**Auctor. 11.**

9. Et quidem initio, cùm vocabuli pœnitentiæ, genitus in sacris usus sit, ut & pro dolore ex agnitione peccati nato, & interdum pro tota hominis conuersione accipiatur: nos hoc loco, posteriore & generaliore illa acceptione sumus usi.

10. Fuit enim in hac vocabulorum inopia nobis retinenda vox pœnitentiæ: quæ quamuis non satis disertè vtramque conuersionis partem exprimit, repudianda tamen non est: quod ea iam olim usu recepta, approbataq; à docta antiquitate fuerit.

11. Multo felicius sacræ literæ Hebræo & Græco idiomate scriptæ, totam rem exprimunt: cùm pœnitentiæ & תְשִׁיבָה & μετάνοια vocant: vtrumque enim vocabulum conuersionem significat. Græca autem vox, insuper etiam eam hominis partem, in qua conuersio illa cernitur, exprimit. Patria lingua nostra, & ipsa fontes sacrorum secuta, eleganter vocat die *Hæfhrung*.

Cum

12. Cum autem certum sit, & sacras literas, & multorum eruditorum lucubrationes, per pœnitentiam hominis, conuersationem ad Deum intelligere, non recte nisi <sup>Scotus,</sup> ciunt, qui pro absolutione accipiunt: aliud enim certe absolutionis, aliud pœnitentia est.

13. Nec etiam pœnitentia recte Sacramentum a Scholis dicitur: cum Sacra menta, teste Augustino, & verbum & elementum habeant: in pœnitentia autem elementum non cernatur aut exhibetur.

14. Nostamen ostensuri, qua in re illa versetur, hominem, et quidem peccatorem posuimus: ut doceremus, eam in hominibus non perfectis elaborare.

15. Nam & primi illi parentes nostri, ante miseram illam turpemque defectionem, toto se animo ad Dominum creatorem suum conuertere bant: sed cum essent perfecti homines, in quibus nulla omnino labes conspiceretur, non habebant, de quo dolorem aliquem modestiamque possent concipere: sed lucebat in ipsis diuina illa imago, cuius cum ipsis pulchritudine mouerentur, ad omnia Domini obsequia erant paratiissimi: & oculos mentis suae ad eum solum conuersos habebant, cuius imaginem circumferebant.

16. Iam autem in hac afflictissima hominum condizione, conuersio nostra durabus in rebus cernitur: vt & a peccato, ac eius authore Diabolo nos auertamus: & ad Dominum Deum nostrum conuertamus.

17. Quæ duæ res, in vera conuersione ita aptæ nesciæque sunt, ut separari non debeant: & tum vera pœnitentia esse desinat, cum earum aliqua fiat distractio.

18. Sic enim eam partibus suis Christus descripsit, in Mar., quiens: Resipiscite, & credite Euangelio.

19. In hunc modum etiam Baptista suis hominibus:

## Disputatio

4

Matth. 3. concionatus est: Pœnitentiam agite vitæ prioris; in prospinquo est enim regnum cœlorum.

20. Vterque enim pœnitentiæ vocabulo, veram contritionem, per Euangelium autem, regnum cœlorum, fidem consolationemque, qua de æterna salute certiores fieri possumus, intellexit.

21. Paulus autem fidei etiam vocabulum disertè cum pœnitentia siue contritione coniunxit; cum in Actis <sup>dis-</sup> Actor. 20. cit: Se Hebræis ac Græcis & pœnitentiam, quæ erga Deum est: & fidem, quæ est erga Dominum nostrum Iesum Christum, tradidisse.

22. Est itaque vera hominis conuersio, ceu quædam à peccato & ipsis inferis, ad Deum & regnum cœleste profectio.

23. Et quidem ut Deus hominum perfectissimus ille finis est, ita ad eum toto animo contendendum: nec conquiescendum, donec ad beatam illam metam peruenemus, Dominum Deum nostrum, qui aliquando erit omnia in omnibus.

24. In hac autem tanta re cauendum est: ne artificio simulationis aliquid fiat: & nos ore tantum, non etiam animo (quod in suo populo reprehendit Dominus) meditari pœnitentiam videamur: Idcirco in descriptione nostra diximus, de vera nos, minime cœfucata pœnitentia agere.

25. Nam cum actionum nostrarum eum spectatorem habeamus, cuius oculi ad intimos etiam animorum nostrorum recessus penetrant: nullus simulationi locus relinquitur.

26. Quando ergo de contritione vera cogitationes instituimus, deserendæ nobis sunt voluptates et illecebres, blandissimæ dominæ: quæ cum voluntate diuina pulsant: & huic mundo valedicendum est.

27. Quo-



*de pœnitentia.*

3

27. Quomodo autem hoc persuaderi carni poterit: quæ non potest non amare ea, quæ in delicijs habet: & quæ concupiscentiæ illos stimulos, repugnantes legi & voluntati diuinæ, à prima sua traxit origine. Quod enim ex carne natum est, caro est. Et Paulus in Galatis lucu<sup>Ioan. 3:4  
Gal. 5.</sup> lenter ostendit, quæ sint opera & studia carnis: videlicet, adulterium, scortatio, immundicia, lasciuia, simulacrorū cultus, & similia.

28. Et ex eo sanè loco intelligitur, sacram Scripturam, non modo turbidos illos animorū motus, sed ea etiam, in quibus sapiētia carnis triumphare sibi videtur, damnare.

29. Nam inter cætera, quæ Paulus commemorat, Ido<sup>latria</sup> etiam recensetur: quæ ab ingenijs humanis profecta, à vitiorū fœditate, quām longissimē abesse videtur.

30. Reprehenduntur etiam simulationes, quas multi, sapientiæ nomine olim celebres, veluti quendam ad virtutem stimulum laudarunt.

31. Cum ergo caro ea detestari iubeatur, quæ ab vberibus maternis hausit & arripuit: quomodo ab ijs discedet, nisi à se ipsa discedere velit?

32. Et cūm ea in reprehensionem iudicij diurini veniant, quæ caro in ornamentis habere videtur, quomodo continebit sua aduersus Dēum murmura, cūm ipse ita iniquus rebus humanis videatur, vt ne nostra quidem satisfactio satisfacere ei possit?

33. Et eam sanè ob causam Apostolus palam confitetur: quod in se, hoc est, carne sua non habitet bonum. Item experiri se legem in membris suis, rebellantem legi mentis suæ, & captiuum reddentem legi peccati.

34. Maiorem ergo in modum hallucinantur ij, qui naturæ humanæ vim aliquam ad rationes conuersionis illius tribuunt: cūm affectus carnis, teste Paulo, immortale bellū gerat aduersus Dñm.

35, Tur

## 6

## Disputatio

35. Turpis etiam & periculosius errant, qui secundum naturam vivere, veram laudabilemque vivendi rationem esse asseuerant.

36. Cum ergo in hoc conuersionis negocio, omnes nostri conatus succumbant, necesse est, odium illud peccati ab externa quadam vi proficisci.

37. At vero cum omnes homines in eodem damnationis barathro submersi sint, non est, quod vel a sapien<sup>tissimis</sup> etiam hominibus consilium aut auxilium expestemus.

38. Proficiscitur autem hoc odium, & ea fuga vitiorum à Domini Spiritu: qui nostras mentes reformat ad obsequium suum.

39. Eam ob causam in hunc modum precatur Hieremias: Conuerte me Domine, & conuertar: Totum conuersionis beneficium in solidum tribuens Domino.

40. Hoc voluit seruator Dominus cum inquit: Spiritus sanctus arguet Mundum de peccato. Nec enim solum ostendit, quod ab impietate & alijs vitijs abstinentia sit, sed odium etiam peccati nobis instillat, vt iam nobis ipsis displicere incipiamus: imò de admissis maiorum in modum doleamus.

41. Hic est salutaris ille dolor, de quo Corinthijs suis in hac verba scribit Apostolus: Qui secundum Deum est dolor, is poenitentiam ad salutem haud poenitendam parit: contra Mundi dolor mortem affert.

42. Felicia hæc vulnera experiebantur ijs, qui audiebant concionantem Petrum: de ijs enim scriptum est: Quod compuncti fuerint corde.

43. Quanquam autem Spiritus Domini, absque uestibulis adminiculis aut instrumentis, in hominibus nouos motus creare & excitare possit, tamē familiariter ad eam rem legis officio utitur.

44. Est enim

44. Est enim ea data, ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus Mundus Deo; & concludantur omnia sub peccatum.

45. Nam quia propter carnis nostræ & socordiam & contumaciam, peccatoris animus ad resipiscientiam non flectitur: comminationibus legis, quæ seueritatem iudicij diuini oculis nostris subiçiant, excitandus est: & saepe etiam Dominus externas pœnas coniungit: ut & vocce & re ipsa doceat, se irasci peccato.

46. Hæc tamen flagella comminationum frustra adhiberentur, nisi naturalem avaritudinem corrigeret Spiritus Domini: ut quasi exuta naturali lepra, sentire vulnera, quæ salutariter infligit Dominus, inciperemus.

47. Testis enim experientia est, quām multi sint, qui nullis concionibus, commone factionibus, comminationibus moueantur, ut vel meditari duntaxat aliquo modo pœnitentiam incipient.

48. Præclarè autem cum ihs agitur, qui sensu peccati serio perturbantur: nam illi gradum ad sanitatem fecisse videntur.

49. Seria etiā meditatio passionis Dominicæ, per accidens, valet ad excitandas in nobis cogitationes, de incredibili ira & indignatione Dei, aduersus peccatum, quæ placari non potuerit, nisi ipse pro nobis filius victima fieret.

50. At vero cūm de dolore illo & utili animorum perturbatione loquitur, non intelligimus eos, qui sola pœnæ formidine, ad temporariam pœnitentiam tristitiamq; adducuntur: ut impius Achab, qui audita comminatione Prophetica pœnituisse dicitur.

1. Reg. 21.

51. Quanquam enim Dominus simulacrum illud pœnitentiæ (ut ita loquamur) beneficio suspensæ ad tempus

B pœnæ

pœnæ honorauit: tamen Achabo progressus ad salutem non fuit: cum non ex animo sua peccata detestaretur, sed meditatione duntaxat pœnarū percelleretur: & vt ea pœnitentia temporaria, ita & fructus eius temporarius fuit.

52. Deteriore autem loco sunt hypocritæ, qui tristitia vultus, quem in manu habent, pœnitentiam mentiuntur: quos etiam Christus Dominus, Matthæi sexto, & vis gesimo tertio, multis verbis detestatur.

*Iocel. 2.* 53. Vult enim Dominus, nos non vestimenta, sed corda scindere.

54. Sed damnatur etiam is dolor, qui in desperatio nem abit: qualis fuit Caini & Iudæ proditoris.

55. Neq; enim sentiendū est, contritionem sua dignitate aliquid mereri: quemadmodum Pontificij sentiunt.

56. Nam vt in politicis is, qui patratum facinus confitetur, ita patrocinium non inuenit: vt in eum nullæ partes Iudicis esse dicantur: ac statim seuerior sentētia contra eum pronuncietur: Sic peccatorum agnitiō, iusto Dei iudicio non satisfacit: sed homines reos pertrahit ad tribunal Domini, & addicit æternis cruciatibus.

*Esa. 42.* 57. Etenim, si tantum esset apud Deum nostri doloris pondus, vt mereri veniam posset: veniret is certe in societatem eius laudis, quam meritus Christus est: cum sum pro nobis sanguinē profunderet. At cum in partem illius laudis, socium Christus admittat neminem: blasphemum est, contritioni nostræ tale quid ascribere.

*Rom. 7.* 58. Quid quod contritio nostra nunquam perfecta absolutaç; suis numeris est: Sed cum ea coniungitur incredibilis carnis nostræ imbecillitas, quæ subinde insurgit aduersus spiritum.

59. Quam ergo laudem in inducendis peccatis ascribemus ei dolori, qui coniunctam habet carnem, suis cupidis

peditatibus flagrantem, & palam reclamantem legi Dei:  
a qua sæpè etiam vincitur: & si quæ venia huic dolori  
deberetur, ea tamen omnis in illa societate turpis deside-  
rij absumeretur.

60. Non ergo superstitione inter contritionem & at-  
tritionem distinguemus, quarum alteram Scholæ perfe-  
ctam, alteram imperfectam faciunt: & vni quidem me-  
ritum tribuunt: alteri vero præmium non assignant: cum  
**ex** his, quæ diximus, constet: nullas emerendæ veniae  
partes his deberi, quæ propter imperfectionem suam se  
non possint excusare Domino: taceo, ut contra seuerios  
rem illum calculum iudicij diuini, aliquid præsidij affers-  
re queant.

61. Iam cum a nobis ipsis remedium petere non pos- **Esa. 61.**  
simus: ad medicum confugiendum est, qui nostra illa vul-  
nera sanet.

62. A quo enim veniam admissorum peteremus,  
quam ab eo, quem offendimus? Quemadmodum David **Psalm. 51.**  
etiam precatur: *Tibi, tibi soli peccavi, & malum coram te feci.*

63. Nec felicitatem sperare possumus, nisi ad eum ac-  
cesserimus, qui & æternæ vitae pater, & summus ac opti- **Esa. 9.**  
mus rerum omnium finis est: ad quem toto animo con-  
tendendum est: nisi de salute nostra desperare velimus.

64. Cum autem ad satisfactionem nulla ratione si-  
mus parati: necesse est, ut cum ἀνολασῷ & publicano, in: **Luc. 15, 18.**  
genu'e peccata nostra confiteamur.

65. Ea autem confessio corde & gemitu fit: cum cos-  
ram Deo corda nostra, ut Psalmus loquitur, effundimus, **Psalm. 62,**  
& totam illam Iliada nostrarum misericordiarum, & corrupte  
in primis naturæ nostræ, exponimus.

66. Sic David confessus est: *Delictum meum cogni- **Psalm. 52.**  
tum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi*

confitebor transgressiones meas Domino, &c. Et statim subiicit: hanc confitendi rationem, à sanctis omnibus v<sup>s</sup> surpatam: Pro hac, inquit, orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.

67. Sed sancti non modo gemitibus Deo loquuntur, verum palam etiam viua voce, s<sup>p</sup>e peccata sua confessentur. Sicut Rex David, coram Prophet<sup>a</sup> Nathan, ingenua confessione usus est: Peccavi Domino: & carmine etiam suo ad omnem posteritatem testatus est, quanto admissorum dolore excruciat<sup>r</sup>etur.

68. Est & solennis quædam confitendi ratio, cùm publicas preces & ieunia olim indicebāt: & de publica confessione extat Domini mandatum. Leuitici 16.

69. Habent etiam Christiani priuatam confessionem quandam, à Christo ipso mandatam, vt reconciliationis gratia fratres accedant, et ab ipsis veniam offendarum petant: vt non modo Deo, sed homini etiam suum, quem ex peccato conceperunt, dolorem proponant.

70. Præterea clauium etiam tota ratio laudabilis est: Ut enim ministri publicè veniam peccatorum resipiscientibus omnibus, Christo mandante, annunciant: ita etiam priuatim, & audire eos, qui consolationis gratia ipsos accedunt, & consolatione Euangelica eosdem recreare debent.

71. Nam trepidis conscientijs, s<sup>p</sup>e generalis illa absolutionis ratio non satisfacit: nisi & priuatim in sinum ministri effundant ea, de quibus solicii sunt & audiant consolationem ex verbo Dei. Quemadmodum Christus paralytico dicit: Bono animo esto fili, remissa sunt tibi peccata tua.

72. Hæ ergo sunt rationes, quibus resipiscentes, explicare & Deo & hominibus animum suum, & peccata consu-

## *de pœnitentia.*

II

Confiteri solent: quamuis sciant, nihil esse, quod non ante  
in notitia Dñi sit, quam nos confessionem instituamus.

73. Ut autem modos illos confessionis omnes, qui  
authoritate sacrarum literarum suscipiuntur, probamus:  
ita contra ea, quæ hac in parte, vel sine Scriptura, vel con-  
tra eam hominibus obtruduntur, in eo numero habes-  
mus, de quibus Seruator Dominus ex Esaia pronunciat:  
Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta homi- Esa. 29.  
num. Et rursus: Omnis plantatio, quam non plantauit pa- Matth. 15.  
ter meus cœlestis, eradicabitur.

74. Nam quod illi singulorum peccatorum recitatio-  
nem requirunt, nullo Scripturæ testimonio comprobari  
potest.

75. Dicuntur quidem Hebræi Baptistæ sua peccata Matth. 3.  
confessi: sed si Ioannes à singulis omnium peccatorum  
confessionem exigebat, quomodo vnum tot hominibus  
audiendis sufficiebat? Egressa enim ad eum Hierosoly-  
ma & tota Iudæa, totaq; regio vndique finitima Iordani,  
scribitur.

76. Sed quomodo recitabimus singula, cum multa Psalm. 19.  
nobis sint incognita? David enim dicit: Delicta quis in-  
telligit, ab occultis meis munda me.

77. Incredibile etiam est, quam periculosos laqueos  
multis conscientijs induant, cum in recitando tantam  
anxiæ exigunt: in qua nemo non possit esse solitus et  
perturbatus: cum si quid confitentes reticeant, expiari illi  
vix posse concedant. Quot enim animas ad æternos cru-  
ciatus præcipitant, cum miseris & perturbatis consciens-  
tijs, vna quidem ex parte, exactio illa: accuratæ recitatio-  
nis: ex altera autem, & verecundia & periculum, ne ea  
enuncientur, obstant: & omnes consilij rationes miseris  
illis, afflictissimisq; hominibus, eripiantur: nihil denique  
præter desperationem relinquatur.

B 3

78. Quod

78. Quod si confessionem illam susurratoriam, ad poenitentiam necessariam esse iudicant: quomodo dicent, Martyres seruatos esse, qui ad cruciatus abrepti sunt: cum illi copiam sacerdotis habere non potuerint? Aut damnabunt ne eos, qui morbo subito correpti, explicare ea, quae animo conceperunt, nequeunt?

*Tripar. hist. lib. 9.  
cap. 55.*

79. Multò rectius sensit Nectarius: qui singulorum ad communicandum admisit iudicio conscientiae suæ.

*Hom. 2. in Psal. 50.  
Item, Serm. de poenitentiis.*

80. Et præclarè dixit Chrysostomus. Peccata tua dico, ut doleas ea: si confunderis alicui dicere: quæ peccasti

*Hom. 5. contra A. nomæos.*

dicito quotidie in anima tua.

81. Nunquam certè tam faciles in hoc confessionis negocio fuissent magni illi & sancti viri: si recitationem illam peccatorum omnium, necessariam ad poenitentia & salutis rationes existimassent.

82. Veris ergò gemitibus Deo, cui peccauimus, delicta & noxas nostras confiteamur.

83. Sed ingenua illa delictorum confessio, ut & supra meminimus, domino non satisfacit.

84. Confitendo enim tantum efficitur: ut nullæ in nos sint partes Iudicis.

85. Iam verò si cogitauerimus, de seuerissimis iudiciis diuini rationibus, quæ nomine ociosi etiam verbi satisfactionem exigunt: intelligemus, quanta hac in parte aduersaria nobis constituta sit: qui ad mille ne vnum quidem respondere possimus.

*Matth. 12.*

86. Multa Romanenses hoc loco afferunt de satisfactionibus, & temerè affimant, hominum merita peccata posse inducere.

*Iob. 9.*

87. At verò, cum infinita sint peccata nostra, si cum ihs, quæ laudabiliter fecerimus, comparentur: quam in his aut proportionē, aut spem satisfactionis sumus inuēturi?

88. Et

*de pœnitentia.*

13

88. Et cùm disertè scribat D. Iacobus: qui in vno de= Iacob.2.  
linquat, reū esse omnium: reatum certè perpetuum cir=  
cumferemus: nec emerendæ veniæ locus nobis ullus re= linquetur,

89. Nam si pauca quædam possemus expiare: tamen infinita alia nos vrgebunt.

90. Quemadmodum ergo primi parentes nostri, cùm intelligerent se peccasse, à Domini facie profugerunt, & confusi sunt: ita non potest genus mortalium, coram hoc Iudice, vlo modo consistere.

91. Hæc cogitatio mouit Dauidem, pietatis nomine Psalm.143.  
ab ipso etiam Domino celebratum: vt & iudicium, & se ucriorem censuram, deprecaretur.

92. Quem ergo Aduocatum quæsiti sumus, qui in causa tam desperata nobis & intercessor & aduocatus adsit?

93. Non possumus certè alium inuenire, qu'ām quem Paulus vnum & solum mediatorem, inter Deum & ho= I. Tim.2.  
mines, Ioannes autem Aduocatum nostrum appellauit: I. Ioan.2.  
Iesum Christum, Dominum nostrum.

94. Hoc consilium ipse Seruator Dominus nobis Marc.1.  
suppeditauit, cùm inquit: Credite Euangeliō.

95. Nam in Euangeliō, de gratuita peccatorum remis= sione, luculenter docemur.

96. Et Paulus testatur: victimam illam pendentem in cruce, tam esse perfectam: vt ea semel oblata, peccata o= Heb.9.10.  
mnium tolleret, & in perpetuum perfectos efficeret eos,  
qui sanctificantur.

97. Nihil ergo in expiatione peccatorum à mediatore pretermissum est, quod nobis sarcendum relinqueretur.

98. Et cùm blasphemum sit dicere, Christum non es= se verum & perfectum mediatorem: omnes hac in parte imperfectionis rationes ē medio tollendæ sunt.

99. Nam

99. Nam & Pontificij concedunt, mediatorem reatum omnem sustulisse.

Esa. 63. 100. Deinde quod pro poenitentia solus satisfecerit, in Esaia palam profitetur, dicens: Ego torcular solus calcaui. Et Esaias capite quinquagesimo tertio prolixè docet: eum propter nos vulneratum esse.

101. Et quis negaverit, eum poenitentes omnes sustulisse, cum et corporis et animi cruciatus sustinuerit: & dolores etiam inferni ita senserit, ut in cruce exclamaret: Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me?

Psalm. 22. Matth. 27. 102. Iam si compensationis aliquæ partes homini injungerentur: non certe locum haberent sententiae illæ Paulinæ, quæ gratuitam condonationem peccatorum pollicentur.

103. Nam Magistratus, qui homini facinoroso poenam quidem mortis condonat, carceris autem & vinculorum diuturnam illam exigit, non dicendus est gratis remississe peccatum: cum reo decretæ poenæ fuerint: & duntaxat modus animaduersiōnis commutatus: Sic etiam peccatorū remissio gratuita, dici nullo modo posset: si Deus grauissimos illos emendatoriū ignis cruciatus flagitaret.

104. Nisi ergo meritum Redemptoris nostri mutuum esse dicere voluerimus, confitendum est, eum & reatum & poenas sustulisse.

105. Et sane Dominus hoc luculenter testatus est, cum ijs, quos absoluisset, nullam satisfactionem mandasret: latronem autem illum inter ultimos spiritus, & devenia & condonatione poenarum certum fecerit.

Esa. 9. 106. Nam qui eodem die, quo animam efflabat, in Paradisum à Patre illo æternitatis euocabatur: is certe diuina severitate ad carceres illos horrendos Purgatoriū absqueptus fuisse iudicandus non est.

107. Et

107. Et cū pīj homines, quādo hinc euocātur, in refri-<sup>Sap.4.</sup> gerio sint: nequaquam concedendum est, eos, cruciatus acerbissimos illos ignis experiri: cūm hæc ē diametro pu- gnent, recreari videlicet, & tormentis cruciatibusq; af- fici: & ijs quidem ad diuturnitatem.

108. At verò quæ contra hanc doctrinam, ex funda-  
mentis Scripturæ sacræ extructam, Pontificij afferunt,  
nīmis sanē sunt eneruata: quæ etiā nullo vel probabili  
colore opponi tam firmis testimonijs possint.

109. Nam quòd in D. Paulo vocabulum satisfactio-<sup>2.Cor.7.</sup>  
nis vrgent, id omnino & προστόνυμον est: & ab omnibus vel  
mediocriter in Latina & Græca lingua exercitatis, intel-  
ligi potest.

110. Satisfactionis enim vocabulum eo in loco, non  
pro peccatorū expiatione usurpatum, sed defensione, aut  
excusatione. Sicut Latini ea voce eleganter usi sunt. *Cicero ad Treba.*

111. Et sanē vetus interpres vocabulo defensionis  
vſus est: nec ea quæ præcedunt & sequuntur, aliam in-  
terpretationem admittunt. Et vel mediocriter literatis  
notum est, quid velit vox ἀπολογίας: qua vſus hoc loco  
est Apostolus.

112. Iam verò commentum, quod arripere illi ex fie-<sup>2.Sam.14.</sup>  
dia Scriptura conantur, dum ea, quæ de Dauidis castiga-  
tione, in sacris habentur, ad suum institutum non dextrè  
accommodant: ne ipsum quidem aliquid firmamenti  
habet,

113. Necq; enim castigationibus illis peccata Dauidis  
tollebantur, quæ Propheta Nathan sublata dixerat: sed  
vt ipse in posterum cautior, frenos cupiditatibus suis  
non laxaret: deinde vt pietas & humilitas hominis, in  
illa castigatione exerceretur & probaretur.

114. Fuerunt etiam illa seueritatis exempla commo-

C nefas

nefactiones ad vniuersos homines: vt cūm videant, Domīnum ei homini non pepercisse, quem inter omnes mortales haberet exīmū: intelligent, quid cæteris expectandum sit, si se non ad voluntatem Domini recte accommodauerint.

115. Nam cūm sanctissimi etiam homines, sæpè grā uiter prolapsi sint, non erat modus aut finis pœnarum ullus futurus, si Dominus singula ad accuratiōrem calculum illum iudicij sui reuocaret.

Iob. 3. 6. & 19. &c.  
libi.

116. Quām multa Iob ille, patientiæ nomine aliás celebris, in paroxīsmo calamitatum & temptationum sua- rum dixit: quæ si in examen iudicij diuini fuissent vocata, nouas pœnas Iobi cumulassem. Sed quāmuis D E V S patientiam hominis illius exerceret: tamen non ad vltimas rationes seueritatis descendit: alioquin Iob cumulo illarum afflictionum fuisset extinctus.

117. Quemadmodum enim D E V S eiusmodi castigationes, velutι προφυλακτικὰ quædam, in hac spirituali medendi ratione adhibuit, non vt his satisficeret iustitiæ ipsius: sed vt essent commonefactiones, ad accuratores in posterum vitæ rationes instituendas.

118. Eodem consilio primitiua Ecclesia disciplinam, & seueritatem aliquam publicam extare voluit: vt cæteri in gubernandis moribus essent cautores.

119. Erat etiam hæc quædam satisfactionis in externa illa disciplina Ecclesiastica, accuratior ratio: vt ij, qui enormibus peccatis se polluissent, publicè etiam pœnitentiæ & tristitiæ suæ ea specimina darent, quæ reliquis fidem facerent pœnitentiæ: & docerent eos, qui spectante tota Ecclesia ad satisfactionem essent parati, serio meditari pœnitentiam: & posthac etiam innocentius victu- ros esse.

120. Sed

120. Sed ne illæ quidem disciplinæ Christianæ rationes, temporis progressu reprehensionem iustam potuerunt effugere. Nam dum nonnulla Concilia, disciplinam, hac quidem in parte arctius astringunt, in leges caritatis peccauerunt. Sic enim in exigenda illa disciplina externa elaborauerunt, ut multis animarum etiam periculum crearent: cum in ipsis canoniceis præscriptionibus, nimis prolixum tempus præscreberent.

121. Sed fuit illa antiquitas, interdum in his quām decebat austerior: deinde etiam sancti patres, dum prolixo animo laudes disciplinæ illius persequuntur, & quædam καθ' ὑπερβολὴν dicunt, frustra a superstitionis illis ad patrocinium causæ suæ citantur.

122. Præterea ipsi quoq; patres, de industria, multa in lucubrationibus suis mutarunt: & in omnibus ad fontes sacros illos nos deduxerunt: vt nec sua nec aliorum probari velint, nisi per omnia oraculis illis diuinis responderint.

123. Ex his ergo quæ attulimus, certò statuamus, in uno & solo Christo omneis satisfactionis rationes, cum latissime inueniri.

124. Et remoueatur è medio opinio meriti omnīs, quā Maiores nostri, in nescio quibus adminiculis, quę recensere longum foret, constituerunt. Deinde vt nomine Iesum, Mariæ filium, Christum, Liberatorem, Seruatorem, Mediatorem, Intercessorem, Aduocatum, Medicum vocamus: ita ei totam hanc laudem recuperatæ salutis tribuamus. Ingens enim piaculum est, sibi arrogare, quod solius est Christi: & de tanta laude aliquid velle decerpere: cum diserte dicat Esaias: Deum laudis, gloriæ suæ secundum velle habere neminem.

Augustinus.  
Lib. 4. de anima &  
eius origine.  
Ad Paulinam Epis-  
tola 112.  
Ad Hieronymum  
Epist. 19.  
In præfatione ter-  
tiij libri de trinitate  
Ad Fortunatianū  
Epistola 198.

125. Nec permisceamus etiam cum Christi sanguine & merito, sanctorum sanguinem: quem illi nomine confessionis profuderunt: sed nequaquam eam ob causam, ut esset satisfactio pro peccatis aliorum.

126. Neque enim illi ipsi, qui magno animo salutem suam pro religione neglexerunt, cum morerentur, sua merita iactabant: sed in solo Seruatoris merito, cuius nosmen etiam ad ultimos usque spiritus ingeminabant, acquiescebant.

Philip. 3. 127. Audiebant enim in his communem praeceptorem Paulum, qui de sola Christi cruce gloriabatur: & reliqua in reiectamentis habebat.

Ephes. 3. 128. Solidas hasce rationes & nos sequamur: in spem non dubiam erecti, per Seruatorem Dominum cum fiducia accessum nobis esse ad Patrem.

129. Toto etiam pectore damnamus furores Nouati: qui lapsis post baptisma veniam negabat.

130. Neminem enim certe Christus habiturus esset, quem seruaret: si post sacrum illud lauacrum, lapsis obtinendae veniae spem omnem praevisam vellet. Nec enim est quisquam, qui non singulis propè momentis peccet. Quid quod officinam illam peccati originalis perpetuo nobiscum circumferimus, ad omne genus peccatorum pronis?

131. Neque loci illi, qui in Epistola ad Hebreos habentur, capitibus sexto et decimo, huic sententiæ repugnant: alioquin Paulus & sibi & D. Ioanni Apostolo aduersa-  
retur.

2. Cor. 2. 132. Cur enim Paulus incestum etiam hominem, soluendum legibus publici anathematis voluit, ne tristitia absorberetur, si illi spes omnis resipiscentię erepta fuisset?

133. Et quomodo Christus, asseuerante hoc & Paulo & Io-

& Iohanne, aduocatus & intercessor est pro peccatoriis Rom. 3.  
bus: si in uno peccato post baptismum commisso, remissio 1. Iohan. 2.  
sionis omnis ratio & via, peccatoribus & amissa & præ-  
clusa est?

134. Pro quibus etiam noxis sancti quotidie veniam  
in precatione Dominica, exorabunt: si eius inueniendæ  
locus nullus post baptisma relinquitur?

135. Sobrie ergo loci illi intelligantur de ihs, qui agnitione  
veritati repugnant: & medicinam, quæ ad salutem nos-  
bis data est, respuunt. Nam ubi hominis audacia, in cons-  
tumeliam diuini nominis, de industria profilit, digna  
est, quæ in peccato suo pereat: sicut Hebræi à Christo misericordia Matth. 12.  
raculo etiam conuicti, tamen à blasphemia non absti-  
nent: quibus ipse etiam veniam negat.

136. Adiungantur etiam solida sacrarum literarum testimonia: Ezech. 33.  
quibus lapsis omnibus venia promittitur. Cum Proverb. 24.  
autem Scripturæ ἀνθεμίας veras non habeant: fatis in Gal. 6.  
telligitur: hos locos Epistolæ ad Hebræos commodè in- 1. Iohan. 2,  
terpretandos: ne cum apertissimis sacræ Scripturæ testi-  
monijs pugnare videantur.

137. Notandum etiam est: non eam solam pœnitenti-  
tiam dicit, ubi ex non renatis sunt renati, sed id etiam fieri  
quocunque tempore p̄ij de admissis dolent.

138. Quanquam enim renati, Domini Spiritu, ad veras Rom. 7.  
rationes vivendi adducuntur: tamen, vel Apostolo teste,  
manent in illis adhuc reliquiae carnis, quæ Spiritui sancto  
repugnant: sæpè etiam in grauiora peccata prolabuntur.  
Hanc infirmitatem & miseriam agnoscent p̄ij, & serujs  
gemitibus & lacrymis deplorant: quæ sane etiam ad pœ-  
nitentiæ rationes referenda sunt.

139. Neque enim sine maxima causa veteres, septem Psalm. 6. 92. 38.  
illos Psalmos, pœnitentiales vocarunt: quod videlicet in 102. 130. 143. 51.

his præcipue meditatio quædam perpetua poenitentiae cernatur: quorum hodie etiam, sicut & reliquorum, in Ecclesia maximus usus esse potest. Remota tamen Pontificiorum superstitione: qui ut alijs, ita recitationi horum Psalmorum, nescio quæ merita affinixerunt.

140. Est ergo tota vita humana, poenitentiae meditatio: nam vetus ille Adam, repugnans legi diuinæ, perpetuo frenandus, & suis desiderijs permittendus non est: Idcirco in descriptione nostra diximus, **S V B I N D E** poenitentiam in hominibus conspici: ne quis forte existimet, nos cum perfectis hominibus versari.

141. Quanquam autem & in eorum vita, qui Domini Spiritu reformati sunt, multa inueniuntur, quæ probari non possunt: tamen vera poenitentia suos, & quidem amabiles illos fructus habet.

**Rom. 8.  
1. Cor. 3. & 6.  
2. Cor. 6.** 142. Etenim cum p̄ij Spiritu sancto ducantur, non potest ille in suis illis templis esse ociosus, sed suos homines ad obsequium Domini reformat.

143. Et cum ad veram poenitentiam fides requiratur, (ut suprà diximus) hæc autem nunquam languida, vitiorum expultrix, & virtutum omnium indagatrix esse soleat; frustra de fide & poenitentia gloriantur, qui aut peccatis contra conscientiam indormiunt, aut ad vitæ nouitatem non elaborant.

144. Ex his quæ diximus, constare existimamus, descriptionem nostrā superiorem, Scripturę esse consonā.

145. Quanquam autem & aliæ multæ in Scholis aliquæ sunt: tamen in plerisq; hoc desideramus, quod fidei & meriti Seruatoris Domini nulla fiat mentio: sine quo sane, nulla vera poenitentiae descriptio dari potest.

146. Nam qui verè sensu peccati sui perturbati sunt: si consolatio non accesserit, præcipites in desperationem ruunt.

147. Quæ

147. Quæ sanè non eam ob causam dicimus, vt cornicum oculos, vt proverbio dicitur, configere velle vis deamur: sed vt ostendamus, non recte à quibusdam prætermissum esse id, quod in capite & arce huius disputationis collocandum videbatur.

148. Postremò, cùm omnia, quæ ad egregios in pietate profectus requiruntur, à Deo proficiscantur, qui efficit in nobis velle & perficere: Dominum illum omnis consolationis precemur: vt nos ducat Spiritu sancto suo, vt malimus viam angustam, quæ ad vitam ducit, monstratore Domino, sequi, quam latam illam, quæ homines ducit ad exitium sempiternum: atque earum rerum pœnitentia ducamur, quæ tandem tristitiam afferunt: contrà autem sequamur eas, quæ fructum perpetuum et nunquam pœnitendum, sunt allaturæ.

F I N I S.



12. *Antiquitatis*  
et scripturarum quae in ecclesiis doceantur  
et in scolasticis studiis admodum  
admodum utilia sunt. *Antiquitatis*  
et scripturarum quae in ecclesiis doceantur  
et in scolasticis studiis admodum  
admodum utilia sunt.





AB 22 841 (1)



56.

Hi.77


WCP





**Farbkarte #13**

B.I.G.



# De Pœnitentia Disputatio.

*Deo Patre Seruatoris Domini, suagratia  
benignè nos iuuante.*

PRAESIDE RE-  
VERENDO ET CLARISSIMO  
VIRO, D. THEODORICO SCHNEPPIO,  
Doctore & Professore sacrosanctæ Theologiae in inclita Aca-  
demia Tübingeri celeberrimo, Domino & Praeceptore suo  
omni obseruantia colendo, G VILHELMVS  
ECKSTEIN, Scheslicensis, Francus, Calendis  
Iulijs, hora sexta matutina, in Aula  
noua, ad subsequentes Propositi-  
nes discendi gratia re-  
pondebit.



T U B I N G A,  
Apud Georgium Gruppenbachium.  
1580.